

Si hoc vellent botanici continuare per 3 annos, credo eos plura præstitutos [præstitutos?] quam mathematici meteorologicis suis observationibus per seculum.

Accepi librum Illustris. Reaumurii de Pullitie seu incubatione artificiali ovoque: reddas ipsi devotissima mea officia.

ILLUSTRISSIMO BOTANICO

DD: BERNH: DE JUSSIEU,

PROFESSORI BOTANICO REG. SCIENT: PARIS; LONDIN: BEROL: ET UPS: SOCIO.

GRATAM arripio occasionem testandi devotum animum in Fautorem quem præ mortalibus omnibus magni facio ob candorem, amicitiam, plantas numerosissimas et denique ob scientiam in arte nostrâ summam, quem omnes hodierni Botanici principem agnoscunt.

Tua in me amoris testimonia quotidie mihi in horto obvia sunt, virent et florent absque intermissione et mihi refricant memoriam generosissimi Fautoris. *Tournefortia caule volubili* propediem florebit, cujus racemi nuper pulchre enati sunt, et mihi dabunt flores antea nunquam visos, ut taceam alias infinitas.

Dalibardi Flora Parisina,* Tui in me amoris summum testimonium, mihi in manus pervenit. Ibi exposuisti et declarasti animum quem nullus, nisi pater in unicum filium offerret. Alii omnes lucubratiunculas meas invito dente et malevolo rodunt; Tu solus candidissimus pro more Tuo, fuisti: Hujus testimonii memor vivam dum vixero, nec ulla rerum vicissitudo me a tuâ devotione removebit.

Illa flora me excitabat ut mox inciperem edere observatiunculas meas, sub *Philosophiæ Botanices* titulo, in qua explicavi Fundamenta mea Botanica; 14 philyræ impressæ sunt, ut libellus intra mensem e prelo prodibit. *Iter meum Scanense* † sudat etiam hoc tempore, sed linguâ suecicâ; jubentibus sic superis.

Phénomènes périodiques), ædificii communis e lapideis variis extruendi fundamenta, singulis annis a 1840 (in Actis Acad. Bruxell.) seriem Observationum, tum propriarum, tum communicatarum, edere non destitit.

* *Flora Parisiensis Prodromus, ou Catalogue des Plantes qui naissent dans les Environs de Paris arrangées suivant la Méthode Sexuelle de M. Linnæus*, par M. Dalibard. Paris. 1749. — Quo modo Dalibardi opus amorem Bernardi erga Linnæum testatur non poterat intelligi. Ænigma solvit excerpta e Bæckii epistolâ (Mai. 1750) sequens linea: “*M. Linnæus m’écrit que M. de Jussieu a publié une Flora Parisiensis sous le nom d’un autre.*” Bernardi in epistolâ responsoriâ censura paternitatem respuit operis, quod Linnæus, suo systemati consentaneum, minus severe judicaverat.

† *Skänka Rosa, på Höga Öfverhetens Befallning förrättad år 1749. Med Rön och Anmärkingar uti Oeconomien, Naturalier, Antiquiteter, Seder, Lefnads-sätt.* Stockholm. 1751.